



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS,

Ac. 47

30

Quod Felix Faustumq; sit!
COLLEGIISUTHOLTIANIPUBLICI
DISPUTATIO XVIII.
DE

ACTIONIBUS PERSONALIBUS,

Ad §. 8. & sequentes reliquos Tit. 6. item Ad Tit. 7. 8.
& 9. Lib. 4. Inst.

QUAM

Una cum Controversiis potioribus
Ex Libr. XLVII, & XLVIII. Pandect.

PRÆSIDE

DN SAMUELE STRYKIO

J. U. D. & INSTIT. IMPERIAL. PROFESS. ORD.

In Athenis Marchicis.

Ad diem 27. Februar. A. O. R. MDC LXIX.

IN AUDITORIO CONSULTORUM

Horis matutinis

Publico Eruditorum Examini

exhibet

CHRISTIANUS Bergmann /

Rathenov, Marchic.

Literis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typ.



Quod sitis...
 COLLEGIUM THEOLOGICUM
 DISPUTATIO
 ACTIONIBUS PER
 SONALIBUS
 AD 2.8. & sequentes...
 & 9. lib. 4. cap. 1.
 M.D.C.C.C.C.C.
 In sum...
 ex lib. XLV. & XLVI. 1. cap. 1.
 P. R. E. S. I. D. E.
 D. N. S. A. M. M. H. E. T. T. I. N. I. O.
 I. U. D. & P. R. I. M. A. R. I. I. A. M. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A. M.
 T. H. E. O. L. O. G. I. C. A. M. T. H. E. O. L. O. G. I. C. A. M.
 C. H. A. R. I. T. A. T. I. S. S. E. R. V. I. T. A. T. I. O.
 I. N. T. E. R. P. R. E. S. B. I. T. O. R. U. M.



CONTROVERSIAE PANDECTARUM POTIORES
à Respondente Collectæ.

Ex Libr. XLVII. Pandect.

- I. **N**Unquam plura delicta, si diversis factis in una re commissa sunt, concurrentia, faciunt, ut ullius impunitas detur, neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam *l. 2. ff. de priv. delict. Wiss. .b. 5.* modo effectus distinctus resultet ex singulis & poenæ sint compatibles, *conf. l. 32. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Si vero ex uno facto oriantur, actione utraque agi potest, ita tamen, ut altera alteram, si in ea plus non sit, consumat *l. 41. §. 1. ff. V. & A. Dn. Brunneinan. repet. Wes. p. 606. q. II.*
- II. Furtum manifestum gravius punitur non manifesto, rationem habet, *Dn. Brun. b. t. q. 31.* Cui non obstat *L. fin. ff. de Rit. Nuptiar.* ratio decidendi potest esse hæc: in rebus per se illicitis & turpibus gravius est palam & manifesto delinquere, quam in per se licitis, quo inclinatur *Ludw. ad §. 5. Inst. de oblig. que quasi & c.*
- III Verba, ope & consilio, an conjunctim an disjunctim intelligenda sunt, certant inter se Doctores. Pro hæc sententia pugnant *Ludw. ad §. II. Inst. b. t. per L. 53. §. 1. pr. ff. V. S. & L. 54. §. pen. ff. b. t. & Zes. b. t. n. 12.* Dissentit *Ægid. Hort. per d. l. 53. sine ff. V. S. vid. Ludwell. d. l. qui responderet.*
- IV. An ob res amissas à me inventas pretium inventionis petere possim, quæstionis est? distingo, an casu fortuito invenerim, an data opera, hoc casu possura petere, illo casu non *Excell. Dn. Praeses in prælæt. Pandect.*
- V. An tempore extremæ necessitatis qui surripiunt esculenta & potulenta, si ad meliorem fortunam pervenerint, tenentur restituere? quod affirmo cum *Wiss. th. 12. Zes. n. 16, Prov. 6, v. 30.* Num verò fuit ablatio justa, quod itidem affirmo ex reg. Jur. Caw. Necessitas ex illicito facit licitum, modo actus intrinsecè & substantialiter non sit turpis. Hinc patet non licere scortari tempore necessitatis, quia in se turpe est *l. 43. §. 5. ff. de rit. Nupt. Dn. Brunnem. in dictat. ad dict. textum Jur. Canon.*

VI. Quæ-

- VI. Quæritur num rectè Justinianus in *N. 134. c. ult.* prohibuerit, ob fortum non violentum membro aliquo mutilari furem. Quod nonnulli negant ex hac ratione: quia rationi convenit, ea corporis parte quemque puniri, qua deliquit vid. exemplum *Deut. 25. v. 11.* Verùm nihilominus non malè ab Imperatore constitutum, ad instar Medicorum, quorum in curandis corporis membris ea ratio est, ut non semper loco affecto medicamenta adhibeant. Dolente capite aut stomachum purgant, aut clystires adhibent, non tam quid doleat, quam causam doloris intuentes: ita prudens Legislatoꝝ in curandis animorum morbis non tam quod membrum deliquerit, quam unde delinquendia causa profecta fuerit considerare debet Hæc *Anton Matthæi de furt. pœna n. 5. ubi elegantia.*
- VII. Hodierna pœna furum an justa sit, non conveniunt Doctores *Anton Matb. negat. ad Lib. XLVII. c. 2. n. 6. & seq. Beatus Carpov. in pract. Crim. q. 57. n. 17. seq. affirmat.* quam sententiam facimus nostram. *Const. crim. art. 159.* Modo proportio non inter vitam hominis & 10. thaleros; sed inter transgressionem Legis divinæ moralis & humanæ, ut & inter turbatum. societatis Civilis vinculum quærat. Non tamen putandum pœnas furum jure civili statutas, esse abrogatas, ut nonnulli male putent *Conf. Const. Crim. Car. V. art. 157. Dn. Brunn. q. 3. b. 1.* Hodierna tamen pœna quomodo & quando locum habeat vid. *Carpz. pract. Crim. d. 1. & Schultz. b. t. lit. C.*
- IIIX. An fur, qui rupto laqueo in terram incolumis cadit, liberetur? quod neg. quia ad sententiæ latæ executionem suspensum furem non sufficit, de insuper suffocatum esse requiritur: daß er mit dem Strange vom Leben zum Tode gestraffet werden soll. *Const. Crim. art. 192.* Nec ipse absolvendus, quem de crimine convictum puella in matrimonium petit, *test. Coler. dec. 238. n. 3. Dn. Struv.* tamen meminit, pronuntiatum fuisse contrarium *ib. 90. n. 4.* ubi dicit cœcum petiisse, ut conjugio sibi jungeretur puella infanticidia rea.
- IX. Si plures servi simul furtum fecerint, pro singulis non tenetur Dominis, sed pro omnia, simplum & duplum solvendo liberatur *l. 1. 2. c. ff. si familia &c.* Ratio; ne totum patrimonium culpa servorum evertatur *Dn. Brun. b. t. p. 1.* Non obstat *L. 34. ff. de injur. & L. 9. ff. de Jurisd.* Vid. *Struv. ib. 38.* qui eleganter hoc explicat.

X. Pœna

- X. Poena Prætoria vi bonorum raptorum usu non servatur, sed criminaliter poena gladii aut alio ultimi supplicii genere plectuntur, *Const. Crim. Car. V. art. 126.* Jure Saxonico & moribus nostris rotundantur, si simul homines interfecerint, *art. 137.* alii capite plectuntur, & deinde demum illorum corpora rotæ imponuntur, prout in Facultatibus Juridicis pronunciatur *Schulz. de vi bonorum & c. lit. B.*
- XI. Nemini licet vi rapere rem, licet suam eandem rem existimet, qui contra facit, rei suæ Dominio cadit, si fuit propria, sin aliena, post restitutionem æstimationem ejus præstare debet §. 1. *Inst. h. t. L. Extat. 13. ff. quod metus caus. L. si quis in tantam 7. C. Unde Vi.* quæ poena Jure Saxonico non servatur *Schultz. h. t. lit. B.*
- XII. Quæritur, an ille injuriarum teneatur, qui vitium corporis vel fortunæ objecerit? Aff, si eum in finem dicat, ut reddat eum contemptibiliorem, *Dn. Brun. q. 19. de injur.* Tenetur etiam, si dicat: Mentiris salvâ reverentia: quia protestatio contraria facto *Zes. h. t. n. 7. nisi retorquendi animo dixerit Dn. Brunnem. h. t. q. 17.*
- XIII. An error in persona excuset? quod neg. *L. 18. §. 3. ff. h. t. Nec obstat L. 4. ff. h. t. Resp. ibi animus injuriandi, cum servo injuria non fiat, & animus injuriæ faciendæ adstanti, defuit Zes. n. n. vel Resp. esse casum exceptum in eo, qui jus habet offendendi Dn. Stryk. in præl. Pandect.*
- XIV. An remissio injuriarum tollit actionem L. Aquiliæ, & ejus, quod interest? negant Dd. comm. *arg. L. si pro fure 7. ff. de cond. furt. qui furti pactus est, non prohibetur rem ipsam condicere: ergo qui contumeliam remisit, de damno tamen agere potest Wiss. th. 30. Ludw exerc. XV. th. 12. lit. D.*
- XV. An Minister Ecclesiæ injuriarum teneatur, quando pro concione certam personam criminis alicujus arguat? quod aff. *arg. l. 32. ff. h. t. Ratio dubitandi est, quia in pravis seculi nostri moribus corrigendis censoriam adhibuit virgulam. Ratio decidendi est, quia odio & stomacho indulgere videatur, non tam vitia quam personam certam nominando Wiss. th. 17.*
- XVI. Actio ad Palinodiam an sit civilis an criminalis, quæritur? prius affirmo cum *Dn Struvio th. 61. & Wiss. th. 21.* quia actor non petit reum arbitrio judicis puniri. Dissentit *Carpzov. P. 4. Const. 42. def. 16.*

def. 16. Marant. in spec. suo part. 4. dist. 1. n. 17. vid. Schultz. de injur. lit. F. Ergo potest conjungi cum actione injuriarum Wiss. th. 25. Struv. th. 61. 63.

XVII. Quæritur, si quis in periculo mortis constitutus in confessione facta Sacerdoti, remittat injuriam, an per hanc remissionem actio injuriarum perimatur, ita ut, si reconvalescat, eam non possit intentare? dist. an expresse remisit actionem, & ad eam redire non potest *l. 17. §. 1. ff. Pact. l. 14. §. 9. ff. Edil. Edict.* Aut offensam seu rancorem solum remisit, & non intelligitur remisisse, aut dubium est, quid, quantumq; remiserit, & rancorem solum animi remisisse censendus est. *Ludwell. Exerc. XV. th. 12. lit. D.*

XIIX. Si injuriatus injuriantem amicè salutaverit, aut cum eo comedit, bibit, risit, tollitur actio injuriarum, si proprio motu fecerit, & antequam eum in jus vocaverit *Ludw. ad §. fin. Inst. b. t. nisi pocula injuriantis aulico jure auff Hofferecht acceperit Schultz. b. t. lit. K. item Retorsione usu non legibus introducta Dn Brun. b. t. q. 31.* Quamvis enim fama & vita pari passu ambulent; id tamen hoc casu non procedit; Nam in periculo vitæ judicem adire non licet; Bene in periculo famæ. Imò privatus vitam quidem, non verò famam auferre potest.

XIX. Qui partum data opera abigit, jure Carolino *art. 133.* dist. an fœtus fuerit animatus, & poena est ultimum supplicium; an inanimatus, & extraordinarie punitur. Non autem habetur vitalis, quam post dimidium tempus, quo uterum gestavit mulier. *Struv. th. 79. Dn. Brun. q. 1. de extra & c.* Quamvis enim antea vitalis sit, judex tamen de incognitis judicare nequit.

XX. Non licet cadaver ab debitum arestare sub poena debiti amissionis *N. 60. c. 1. N. 115. c. 5. §. 1.* Nec heredes possunt conveniri ante nonum diem, hodie non ante trigesimum diem. *Dn. Brun. de sep. viol. q. 9. Struv. th. 88.*

XXI. Poena XL. aureorum Hadriani statuta in eos, qui in civitate mortuos sepeliunt, & in Magistratus, qui passi sunt sepelire *l. 3. §. 5. ff. sep. viol.* non amplius est in usu, prout experientia testatur; In bene tamen constitutis civitatibus adhuc hodie ante portas sepeliuntur, nec aer exhalationibus inficiatur & ita pestilentia oritur.

XXII. An aliquis tenetur delictum denunciare, & si non fecerit, an poena a-

na aliqua teneatur? dist. inter commissum & committendum, hoc tenetur denunciare, illud non, nisi à Magistratu interrogetur, aut Reipub. salus periclitetur, ut in crimine læsæ Majestatis *Dn. Brun. q. 5. de Receptat. Struv. th. 105.*

XXIII. Crimen stellionatus non infamat *l. 2. ff. b. r. Non obstat. l. 13. §. fin. ff. de his, qui notantur &c.* dist. aut concurrat cum actione famosa, aut non; priori casu est famosa, posteriori non *Dn. Brun. q. 9. b. r. Gothofred ad L. 2. ff. b. lit. q.*

XXIV. Tres faciunt Collegium *l. 85. ff. V. S.* Sed quæritur, num unus, qui superest ex Collegis, possit promovere aliquem in Doctorem, aut Magistrum? quod *aff. arg. L. 7. §. fin. ff. quod cujus Universitatis &c.* quia jus omnium in unum recidit & stat nomen Universitatis *Dn. Brun. rep. Wes. p. 88. q. 3.*

XXV. Saccularii vel manticularii sunt, qui vetitas in saeculo artes exercentes partem subducunt arte sc. carminibus vel alia ratione, partem subtrahunt se. manu *L. 7. ff. de extraord. crimin. ibiq. Gothof. Calvin.* in voce Saccularii. Quo etiam sectores Zonarii pertinent, qui in turba & circulis hominum in cautorum loculos secant, quorum agilitas tanta est, ut ingenium omne in digitos abiisse videatur *Ant. Matth. l. 47. tit. II. c. 1. n. 3.* His proximè sunt Directarii, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo *d. l. 7.* unde & quibusdam Diætarii, à diætis, in quas se inferunt appellantur *Antb. Matth. d. l.* Puniendi sunt hodie ut fures ceteri pœna suspendii, quod *probat exull. Dn. Stryk. in disp. de Saccular. c. 4. n. 22. seq. contra Carpzov.* nuperrimumq; exemplum comprobatur.

XXVI. Circulatores sunt, qui serpentes circumferunt & proponunt, quorum metu si cui damnum datum fuerit promodo admissi actio datur *l. fin. ff. extr. crimin.* Quæritur num hodie possint puniri? quod neg. videtur, si autoritate Magistratus & pro certo tributo merces suas exponant. *Excell. Dn. Stryk. in prel. Pandect.* Ad circulatorcs etiam referuntur Medici circum foranei, qui nulla medendi arte instructi misellæ plebi vendunt pharmaca *Antb. Matth. de crim. p. 215. n. 4. Struv. th. 87.*

XXVII. Scopelismus nihil aliud est quam lapidum positio, cum inimicus in prædio inimici lapides ponit, indicio futuros, eum qui agrum istum coluerit, malo letho periturum, insidiis eorum, qui lapides posuere *L. 9. ff. extr. crimin.* Punitur usque ad pœnam

poenam capitis, quæ verba an includant, an excludant capiti
 poenam, quæritur? prius defendit *Anton. Matth. p. 206. n. 1. 2. 3.*
 contra *Riminal. Junior. & Struv. tb. 85.* Ascipitur commu-
 niter hoc crimen hodie de specie aliqua diffidationis *Struv. tb. 82.*
 XXVIII. Fures balnearii gravius puniuntur reliquis furibus *l. 1. ff. b. t.*
 Sunt autem qui in balneis vestimenta lavantium surripiunt, ut
 tales manus furtivæ vitarentur, capsariorum usus invaluit *l. 3.*
S. ult. ff. off. Pref. Vig. rationes cur severius puniuntur *vid. apud*
Anth. Matth. p. 246. n. 2.

Ex Libr. XLVIII. Pand.

- I. **Q**uænam dicantur publica judicia, & unde possint cognosci, non
 conveniunt. Varias variorum Doctorum opiniones habet.
Dn. Brun. b. t. q. 1. inter quas mihi probatur illa *Struvii*: quia
 magis lædunt Rempublicam *tb. 3. & 4.* qui ex tali crimine con-
 demnatur fit infamis *L. 7. ff. b. t.*
- II. Jure Civili tenetur Accusator se inscribere ad similitudinem sup-
 plicii, ratio in *L. 7. ff. de accus.* exceptio in *L. 7. C. b. t. L. 12. C.*
qui accus. L. 30. C. de Adult. L. fin. ff. de publ. judic. Formula inscri-
 ptionis *vid. in L. 3. pr. ff. b. t.* Hodie tantum præstatur cautio de
 injuriis & expensis in casum succumbentiæ, & incarceratur *Ord.*
Crim. art. 12. posterius tamē rarius servatur *Brun. de custodia & c. q. 2.*
- III. Ubi facinorosus fugius reperitur, ibi competens ejus Judex est, li-
 cet nec domicilium ibi habeat, nec commiserit delictum *l. 1. C. ubi*
de crimin. qui petente Magistratu Loci, ubi crimen admissum, ad
 illum à Magistratu loci, ubi degit, Jure Civili remittendus *L. 7. S.*
fin. ff. b. t. L. 7. ff. de custod. N. 134. c. 5. Hodie secus in diversorium
 Dominorum territoriis *Schnltz. de susp. Tut. lit. C. Dn. Struv. Exerc.*
XV. tb. 45. & Exerc. 49. tb. 12. Quis ex his tribus Judicibus, loci
 domicilii, delicti commissi, & ubi reus reperitur, magis obstrictus
 est ad inquisitionem contra reum suscipiendum? Judex loci, ubi
 repertus reus, *Carpz. Pract. Crim. q. 110. n. 72.*
- IV. Qui privatos carceres exercet tanquam Violator Majestatis ultimo
 supplicio subjugandus est *l. unic. C. de priv. carc.* casus exceptos
 refert *Dn. Struv. tb. XVI.*

V, An

V. An liceat resistentem reum occidere? quod aff. si iuste apprehen-
datur, si vim intentet, & constet de Autore delicti capitalis, ubi
offensio iusta, ibi defensio illicita *Wiss. th. 25.* Si iudex fugientem
in suo persequi cœperit, an transfugientem in alieno apprehen-
dere possit? quod neg. *Anton. Matth. l. 48. tit. 14. c. 1. n. 3.* Si fu-
giens, commentariensis fraude & dolo, forte acceptâ pecunia e-
lapsus incarceratus, tunc illâ pœnâ secundum *Const. Crim. art. 180.*
punitur, quæ reo, si non affugisset, dictata fuisset. Hodie nulla gravi-
or pœna quâ fustigatio: si vero culpa & negligentia, pœna est arbi-
traria. *Struv. th. 14.* Si quis ob delictum incarceratur, si habeat, unde
alatur? Suis sumptibus alendus erit *l. 34. ff. re judic.* si non habeat,
Accusator tenetur, si Iudex in reum inquisiverit, Fiscus alimenta
præstabit *Duar. ad dict. l. 34. Wiss. th. 28.*

VI. Hodie crimen læsæ Majestatis humanæ præter Imperatorem, etiam
adversus S. Romani Imperii Electores, quia sunt membra & par-
tes corporis Cæsarei, committitur vid. *Aur. Bull. tit. 24. pr.* An
in reliquos Principes, Duces, Marchiones &c. vid. *Dn. Struv. th. 18.*
Dn. Brun. h. t. q. 16. An in Pontifice Romano? aff. ratione tem-
poralis *isçoiac Carpz. de L. Reg.*

VII. Pœna perduellionis est gladius cum publicatione bonorum *L. 5.*
pr. C. b. t. ultimum etiam post mortem *l. fin. ff. b. t.* intra quin-
quennium *arg. L. 2. C. de Apostat.* non vero bona immobilia, alibi
sita, quia jurisdictioni non subfuere *Zaf. n. 18.* etiam exstantibus
liberis, licet ex potestate dimissis *Zaf. n. 22.* etiam si ante reatum
nati sunt *Ludw. ad §. 3. Inst. de publ. judic. Wiss. th. 10.* Non in
Nepotibus *Struv. th. 20. Zaf. n. 23.* De Filiabus vid. *L. 5. §. 3. C.*
b. t. An pœna in liberos sit iusta vid. *apud Wiss. th. 12.* Hodiernis
moribus vivi plerumque in quatuor partes dissecantur, quæ in lo-
cis altioribus suspenduntur; Mulieres vero suffocantur aquis,
interdum utrique forcipibus ardentibus aduruntur *const. crim. art.*
124. De pœna criminis Majestatis Divinæ vid. *Struv. th. 22.* de pœna
statuta in Sanctorum blasphematores vid. *Schultz. h. t. lit. D.*

VIII. In adulterio duplici uterque gladio punitur, ita ut nec remissio
locum habeat in Saxonia, extra eum in uxore locum habet in-
terdum, non in marito. Si solus cum ligata rem habet, eadem
pœna dicitur, quæ in priori. Si uxoratus cum soluta rem
habet,

B

habet,

habet, fustigatio dicitur. Judistinctè tamen reconciliatio admittitur in posterioribus his duobus speciebus simplicis adulterii, ita tamen ne quicquam alteri parte à pœna remittatur, sequi tamen tenetur in exilium. Late hæc deduxit *Schultz. b. t. lit. K. Vid. Dn. Brunnem, Process. Inquisit cap. 9. n. 32. & seq.*

IX. Bigami secundum *const. crim. art. 121.* gladio puniuntur etiam in iis, qui quoad thorum & mensam separati *Struv. th. 36.* Exceptionem habet *Wiss. th. 18.* & in eo qui uxorem de adulterio suspectam habentem, eâ sine iudicio Ecclesiastico dimissâ, aliam superinduxit *Cöl. dec. 176. n. 82.* etiam in eo, qui sibi aliam de præsentis desponsavit & carnaliter cognovit, etiamsi copula sacerdotalis in templo vel domi non accesserit *Schultz. b. t. lit. K.* quanquam hic facilè locum habeat dispensatio.

X. Stupri pœna non est capitalis *§. 4. Inst. publ. jud.* nisi 1. puella nondum viripotens, 2. quando contra naturam committitur *l. 31. C. b. t. 2.* vel sit violentum *l. 1. §. fin. ff. de extraord. & c. const. crim. art. 119. Brun. b. t. q. 41.* De pœna Raptus, incestus, Sodomix & quæ ad eam referantur, Lenocinii vid. *Struv. th. 38. seq. Schultz. b. t. lit. l. & y. Brun, b. t.*

XI. Qui hominem data opera occidit, nullâ attentâ dignitate, sive Nobilis sive ignobilis, sine Magistratus sine privatus, gladio punitur, nec remissio locum habet *Gen. 9. v. 6.* interdum augetur pœna v. c. Si quis personam in dignitate constitutam, ortu conspicuam, dominum &c. interfecerit, *Art. 137. fin.* Si plures datâ operâ interfecere hominem, omnes ordinariè puniuntur *art. 148.* Si ignoretur, quis vulnus lethale intulerit. Si casu fortuito in rixa factum, & occisor ignoratur, & per torturam non potest investigari, omnes extraordinarie puniuntur *art. 34. 148. Brun. b. t. q. 27. Schultz. b. t. lit. O.* etiamsi in persona erratum *arg. L. 18. §. 3. ff. injur. Struv. th. 52.* Etiam Mandans expressè, tenetur *l. 15. §. 1. ff. de Sic Job. Cöpp. l. 2. obs. 60. n. 7.* Si vero mandavit, ut vulneret tantum, tenetur tamen, quia res illicita, & cogitare debuisset ex vulnere mortem sequi facilè posse *Zaf. n. 15. b. t. &* mandatarium arbitrio suo moderari arma non posse, nec in potestate ejus esse, certo loco certæ & definitæ magnitudinis vul-
nus

nus infligere *Wiss. tb. 18. Dissent. Ludw. exerc. 18. tb. 5. lit. C. pr.*
De Assassino vid. *Ludw. d. l. in med. Carpzov. Pract. Crim. P. 1.*
Q. 19.

XII. In homicidio necessario requiritur 1. invasio vitæ vel pudicitia
l. 4. pr. ff. L. Aquil. l. 1. §. 4. ff. de Sic 2. Defensio in continente *L.*
45. §. 4. l. 52 ff. ad L. Aquil. 3. Modus in defensione servandus ut
respondeat aggressioni, nec occidat aggressorem, si aliter quis
se. à periculo commodè liberare potest *Struv. tb. 55. Brun. b. t.*
q. 32. An paria arma requirantur; *Neg. Ludw. Exerc. 18. tb. 5.*
lit. D. An fuga, etiam negat *d. l.*

XIII. An ob defensionem honoris? negat *Ludov. d. l.* an ob bona?
neg. nisi ex invasore bonorum quis fiat aggressor corporis, &
me bona mea defendentem armis invadat *l. 1. C. Unde Vi Ludov.*
d. l. Zæf. n. 49. pœna tamen extraordinaria imponitur, *Brun. b. t.*
q. 29.

XIV. Quæ pœna Homicidii in Duello? Ordinaria utrique, exceptio-
nes duas habet *Wiss. tb. 16.* Si Mediator interfectus? tenetur
si studio fecit *Brun. b. t. q. 36.*

XV. Venenarii ut latrones puniuntur *Ord. Crim. art. 130.* quod in Me-
dicis etiam locum habet *art. 134.* Jure Saxonico vivi combu-
runtur, etiam illi, qui pascua inficiunt, nisi damnum non se-
cutum *Schultz. b. t. lit. q.*

XVI. Pœna Incendiarii est ignis *Art. 125.* etiamsi damnum nullum
secutum, modo materia dolose posita & accensa, si posita, sed
non accensa, extraordinariè *Struv. tb. 67.* De Magorum pœ-
na vid. *Srruv. tb. 61. seq.*

XVII. Pœna in Parricidas jure Civili §. 6. *Inst. de publ. Jud.* adhuc
in Saxonia obtinet, hoc tantum mutato, ut loco Simiæ felis, &
loco serpentis vivi, quia non semper haberi possunt, serpentes
in charta depicti cum Parricida in sacco inserantur. Si non
adest flumen, rotæ supplicio afficiuntur. Eadem pœna in Jure
Saxonico in Marito & Uxore locum habet; etiam in Vitricis,
Novercis & Privignis *Schultz. b. t. lit. t.*

XVIII. Falsæ monetæ cutores & qui eam in fraudem proximi expen-
dunt flammæ pœnæ afficiuntur *Const. crim. art. III.* Qui
vero

vero eam circumcidit & radendo minuit, aut absque privilegio, etiam iustæ ligæ & valoris, eudendi sibi facultatem arripiunt vel corporali vel pecuniariæ pœnæ subjiciuntur *d. l. Varias falsi species vid. apud Schultz. b. r. lit. u.*

XXIX. Sacrilegium quomodo puniatur satis experientia testatur. Pœna residui punitur restitutione surrepti cum tertia parte *l. 4. §. 5. ff. resid.* Hodie extraordinarie puniuntur. Jure Saxonico aliquod speciale introductum *Struv. th. 81.* Pœna Plagii Jure Civili est arbitraria *L. fin. ff. Plag.* interdum & capitalis *L. fin. C. eod.* ut & de Jure Divino *Exod. 21. v. 16. Deut. 24. v. 7.*

XX. Jus aggratiandi competit omnibus, qui jura territorialia habent in pœnis capitalibus à Deo non dictatis, à quo tamen differt mitigatio vel transmutatio pœna *Struv. th. 90. 91.*

XXI. An Tortura sit justa & licita? quod negat *Wiss. th. 13. ex Anton. Matth. lib. 48. tit. 16. c. V.* quia 1. est remedium veræ justitiæ & naturali æquitati parum conveniens. Quid enim iniquius, cruciari aliquem, de cujus crimine non liqueat? quid absurdius, certam cui irrogare pœnam pro incerto scelere, 2. ob legem *l. §. 25. ff. de quest. N. 134. c. 13.* 3. quia ne vestigium extet de tortura in Codice Sacro. Usus tamen torturam approbavit.

XXII. Jure Novellarum bona non confiscantur *N. 134. c. ult. & Auth. Bona damnatorum C. bonis damnat.* Excepto crimine læsæ Majestatis, *De hac Auth. vid. Struv. th. 107.* In Criminibus non capitalibus confiscationem adhuc obtinere apparet ex *Const. Crim. Artic. 118.*

XXIII. Qui sibi ipsis violentas manus inferunt sepulturâ honestâ privantur *vid. Schultz. de R. D. lit. f.* Si non perfecere, miles capite punitur *l. 38. §. ff. pœn.* ceteri arbitrarie.

XXIV. An filius patrem bannitum occidere potest? *neg. arg. N. 12. c. 2.* Nec Uxor maritum bannitum *Struv. in tract. de priv. vind. p. 31. n. 4. 5*

XXV. An cadavera punitorum ad Anatomiam concedenda? *aff. cum Zæfio. n. 2.* quia utilitas publica prævalet. Qui cadavera spoliant vel auferunt pro diversitate iutentionis plectuntur *Brun. b. t. q. 4.*



Kf 888

ULB Halle
005 368 782

3



W 17





30

Quod Felix Faustumq; sit!
 COLLEGIISUTHOLTIANIPUBLICI
 DISPUTATIO XVIII.
 DE
ACTIONIBUS PERSONALIBUS,

Ad §. 8. & sequentes reliquos Tit. 6. item Ad Tit. 7. 8.
 & 9. Lib. 4. Inst.
QUAM

Una cum Controversiis potioribus
 Ex Libr. XLVII. & XLVIII. Pandect.

PRÆSIDE
DN SAMUELE STRYKIO
 J. U. D. & INSTIT. IMPERIAL. PROFESS. ORD.
In Athenis Marchicis.

Ad diem 27. Februar. A. O. R. MDC LXIX.
IN AUDITORIO CONSULTORUM
 Horis matutinis
Publico Eruditorum Examine

exhibet
CHRISTIANUS Bergmann /
 Rathenov, Marchic.

Literis JOHANNIS ERNESTI Acad. Typ.

